



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniæ Agrippinæ, 1653

2. Fides Christiana Donum est Dei gratuitum, & eiusdem Opus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

perficatur per Baptismum, Baptismus vero fundamento Fidei niti-
tur: immò, & Fides Baptismo, cum hic sæpe præcedat fi-
dem (ut in parvulis) quare fundamentum fidei immer-
gitur aquis Baptismi, Pergit D. Basilius: & utraque res per
easdem voces impletur. Sicut enim credimus in Patrem, Filium,
& Spiritum-sanctum, sic etiam Baptizamur, in nomine Patris
& Filii & Spiritus-sancti.

Cum itaq; tota Domus Spiritualis ex virtutibus Chri-
stianis constans in aquis Baptismi fundamentum habeat
& impossibile sit, ac supra omnem naturæ creatæ facul-
tatem in iis & consequenter, in anima Fidem divinam
locare: propterea enim supernaturalis dicitur; placuit
Reipublicæ Principi Deo, ad fundandum impensas
subministrare, desumptis è dilectissimi Filii sui ærario,
meritorum nummis, quorum virtute Fidei fundamen-
tum stabile ponitur, ejusdemque vi ad conservationem,
semel jacti fundamenti auxiliarem gratiam accipimus.
At verò, postquam jactum est fundamentum, requirit,
ut de suo quoque addat homo fidelis, quo reliquæ Do-
mus partes exurgant, Quod fit paulatim superædifi-
cando, non solum Christi, sed suo etiam sumptu, coo-
perans virtutum exercitatione, ut cæptum ab eo Ædifi-
cium perficiatur

ARTICULUS II.

FIDES CHRISTIANA

Donum est DEI gratuitum, & ejusdem Opus.

OB dictam causam, Fides dicitur Donum Dei gra-
tis conferri solitum. *Gratia estis salvati per Fidem, in-
quit Apostolus: & hoc non ex vobis: DEI enim Donum est, ad
Ephesios secundo. Ne quis enim initium ædificationis*

Secunda Pars.

T

homo

(*) ad Ephes. 11. 2.

homo sibi adscribat, & jactitet; cū quisque DEI sibi edificatio, docet Apostolus, Fundamentum sine quo mla exurgit structura gratuito DEI munere haberi, idēque illud non esse liberi arbitrii viribus tribuendum. Nam necesse est prius liberum arbitrium à gratiā excitari, ac moveri ad fidem. Quod monet in illam Epistolam scribens S. Hieronymus, & explicat uberius S. Augustinus epistola cv. i. cujus illa est præclara sententia tractatu de gratia & libero arbitrio cap. xxi. *Certum est nos velle cum volumus, certum est nos facere cum facimus: sed ille facit, ut volumus: sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Ex quibus constat, secundum S. Augustini sensum, Fidem ita esse DEI donum, ut ad eam liberi arbitrii consensus sit necessarius.

SIMILIRATIONE, Fidem vocat S. Augustinus *Opus Dei*. Nam quod dicitur Joannis vi. 29, *Hoc est Opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille*, ita explicat, lib. de prædest. SS. cap. 7. *Ipsam Fidem opus DEI dicit ipse JESUS, & hanc ut operemur, jubet: dixerunt enim ad eum Judæi: Quid faciemus, ut operemur opera DEI? respondit JESUS, & dixit eis: Hoc est opus DEI, ut credatis meum, quem misit ille.* Ubi videtur docere Augustinus, Fidem esse *Opus*, quod à Deo fiat: non tamen absque nostrâ actione: quippe illam Deus largitur, & nos illam sponte animo concipimus. Non malè tamen verba illa Christi exponunt Apollinaris & Leontius in Catena Græcorum, ut *Opus Dei*, idem sit, quod *Opus Deo gratum*. Ne quis autem existimet, Fidem tantum illam, quæ est Fundamentum simpliciter, & actu connectens ædificii partes esse Donum Dei, non illam, quæ aptitudine id habet solum modò quando est *Informis*, S. Augustinus, post longam de hac re disputationem, tandē concludit: (a) *Fides igitur inchoata & perfecta*
Donum

(a) lib. de prædestinata, SS. capite 7. & 8.

Donum Dei est. Et hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino non dubitet, qui non vult manifestissimus sacris literis repugnare. O altitudo Sapientiae & scientiae DEI!

In Republicâ ab hominibus inter homines constituta, ponitur fundamentum à Principe communitatis, civibus, & bene meritis, ex aliqua justitiae ratione, per distributionem bonorum communium. In prima autem Fidei, tanquam Fundamenti donatione, & positione, nulla cernitur justitia: sola misericordia; quibusdam datur, quibusdam non datur. Quibus negatur, justè negatur, quod non debetur: quibus datur, misericorditer conceditur, quia sine obligatione offertur. Quamobrè rectè docent Scholastici, Fidem, siue caritate formatam, siue absque ea informem, ita esse Donum Dei, ut secundum substantiam sit supernaturalis. Et sanè, si Fidem consideres, ut est habitus quidam virtutis Theologicae, sic supernaturalem esse & Donum Dei gratuitum naturè minime debitum nemo hactenus dubitavit. Unde dum quæritur, vel à pueris, quid est Fides? Respondent, Donum Dei ac lumen, quod potissimum de infusâ & habituali intelligitur. Si spectes Fidè, quoad objectum, ita non esse supernaturalem sentiebant quidem sectatores Basilidis, antiqui hæretici, ut auctor est Clemens Alexandrinus: (b) & in eodem errore videntur fuisse Manichæi, negantes credendum, nisi quod sciri possit evidenter: est tamen longè certissimum. Siquidem eo modo dicitur, *Sapientia DEI abscondita in mysterio*. I. ad Corinthios secundo cap. & *Oculum non videre absque Deo, quæ ipse preparavit diligentibus* Isaïæ LXIV. item, *carnem & sanguinem non revelare, quæ creduntur*. Matthæi XVI. Et quis dicat, arcana Triados, & Incarnationis Verbi naturali notitia

T 2

posse

(a) S. Thom. 2. 2. q. 6. art. 1. & 2. Schel. in 3. dist. 23.

(b) Clem. Alexandr. lib. 2. Strom.

posse comprehendi! Denique, si sumatur Fides, ut est assensus, negarunt eam esse supernaturalem Basilidei heretici, docentes, naturæ vi habere posse. Pelagiani autem, licet agnoscerent Dei gratiam esse, quod per divinam revelationem docerentur homines de iis, quæ sunt fidei, atque ad eò, Fidem esse Dei donum ex parte obiecti; tamen censebant, hominem non alia egere gratiâ & supernaturali Dei libertate, ut ea quæ divinitus sunt revelata crederet, ac proinde posse suis viribus hoc ædificii spiritualis Fundamentum collocare. Idem existimarunt Presbyteri quidam in Gallia, Semipelagiani, & Reliquiæ Pelagianorum dicti. Immo S. Augustinus junior, ut liquet ex libro expositionum quarundam propositionum in Epist. ad Romanos, propositione LX. LXI. & LXII. At postea hunc errorem retractavit, ut videre est lib. 1. Retractat cap. XXI.

NIHIL enim contraria veritate in Scriptura divinâ est clarius. *Non sumus sufficientes* (a) sive idonei, cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, clamat Apostolus. *Si non sumus idonei cogitare*, inquit Augustinus, (b) *profectò, non sumus idonei credere aliquid, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra, quæ credere incipimus, ex Deo est.* Iterum Apostolus Philippenses alloquens (c) *Vobis donatum est, non solum, ut in illum credatis, sed etiam, ut pro illo patiamini.* Neque dici potest, quod Pelagianis, eorumque sequacibus erat in ore: initium aliquod Fidei esse in nobis: quasi viribus nostris primum lapidem fundamentalem nos ponamus, vel adolvere conemur saltem. Nam si hoc admittatur, non omnia Gratia divinæ accepta referenda erunt. Atque ita initium salutis, & ædificii spiritualis à nobis, & nostro est libero arbitrio. Itaque non Dei, sed nostra sumus Edifica-

(a) III. Corin. III. 5. (b) lib. de prædest. SS. cap. 2.

(c) Ad Philipp. 1. 29.

ficatio. Adde, & sic falsum fore, quod habet Apostolus tam certum, quàm à Deo sibi dictatum: *Quid habes, quod non accepisti?* I. ad Corinth. VII. Quo testimonio maximè utebatur S. Cyprianus ad rem hanc stabiliendam ut scribit S. Augustinus (a) Signet hæc omnia Christi dictum universalissimum: *Sine me NIHIL potestis facere.*

Quare Concilii Arausici Patres congruenter divinis oraculis hunc Canonem condiderunt: (c) *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei non per Gratia donum nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius adprobatur.* Cuius similia decrevit Tridentina synodus (d) in hunc modum: *Si quis dixerit, hominem sine praveuiente gratia Dei, & ejus auxilio, credere, diligere & sperare posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur anathema sit.* Formulâ illâ, *Sicut oportet* sancitur, Fidem illam, quæ est fundamentum Domus Sapientia, non posse haberi, absque transfundenti naturali munere, licet alia quædam Fides, minus perfecta, quæ *Adquisita* dicitur, & toto genere ab *Infusa*, vel divinitus donata distat, humani sit arbitrii & industria (e) Solum igitur definitur, Donum DEI naturæ superadditum esse eam Fidem, quæ ab Apostolo dicitur *ὑπόστασις* rerum sperandarum, id est, fundamentum salutis, & Domus Sapientia, seu totius fabricæ Spiritualis.

Quod passim adfirmant Patres Ecclesiæ. Disertè S. Chrysostomus homil. quarta in Epist. ad Ephesios: *Postquam Deus ita voluit, Salvavit fides. Hoc ipsum Dei donum est, ne quis gloriatur.* Et paulò ante: *Neque quod fidem concernit,*

T 3 nostrum

(a) Aug. de prædest. SS. cap. 3. (b) Ioan. xv. 5. (c) Arausic. can. 7. Milevit. c. v. (d) Trid. Sess. vi. can. iii. (e) S. Thomas 22. q. 5. art. 3. Cajet. 1. 2. q. 109. art. 1. & 4. Medina ib. Bannez. 22. q. 6. art. 1. Alvarez. de auxili. 1. 6. disp. 49. con. 3. n. 10. Vasq. 2. 12 q. 109. disp. 186. & 187. Lessius de gra. effic. à cap. 10. Bellarm. lib. 6. de gra. c. 1. (f) Molin. concor. q. 14. art. 13. à. disp. 7. Valen. To. 2. disp. 8. q. 1. p. 2.

nostrum est. Et S. Hilarius in Psalm. cXLIII. ad illa: *Quid est homo, quia innotuisti ei. Confessio, inquit, ista pulcherrima est, ut indignum se homo ipse tanto munere testetur. Et cum se indignum confitetur, gratiam ejus, qui sibi hæc largitur, extollit. Quod enim meritum hominis est, ut ei se DEUS cognoscibilem prester?* Clarissimè quoque S. Ambrosius lib. I. de Pœnit. Fides, ait, DEI donum est, sicut habes scriptum: *Quia à Deo vobis datum est, non solum, ut credatis in eum, sed etiam ut pro illo patriamini,* ad Philipp. I. Idem docet S. Hieronymus in cap. VI. Epist. ad Ephes. ponderans illam valedictionem Apostoli: *Pax fratribus & Caritas cum Fide à Deo Patre, & Domino Jesu Christo. Paci, inquit, similis est caritas cum fide, quam & ipse simul Deus Pater donat, & Filius. Ad cujus confirmationem hoc addit Augustinus, epist. CV. Fides ad Christum nos trahit, quæ nisi de super gratuito munere nobis daretur, non ipse diceret: Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum,* Joannis VI. Denique Prosper lib. I. de vocatione Gentium: *Fides quæ bonæ voluntatis & justæ actionis est genitrix (en fundamentum ædificii spiritualis) quo ipsa fonte nascatur, Apostolus Paulus exponat, qui pro Romanorum fide Deo gratias agit, dicens: Primum quidem gratias ago Deo meo pro omnibus vobis quia fides vestra annunciat in universo mundo,* ad Rom. I.

IDEM convincit Ratio philosopho-theologica. Siquidem, assentiri Mysteriis à Deo revelatis propter auctoritatem divinam, captivando intellectum in obsequium fidei, res est talis, quæ exedit totam facultatem naturæ: quocirca, solis naturæ viribus, nemo assensu Christiano in illa ferri potest: ac proinde, intellectus & voluntas singulari quodam auxilio sublevari debent. Hoc pacto efficitur à Philosopho, aquam non posse calefacere, nisi prius ab igne, alia-ve superiore causa calefactam: quia calefacere excedit vir-

turem naturalem aquæ. Sed multo magis excedit virtutem hominis naturalem, credere Myſteria fidei, aſſenſu Chriſtiano: cùm & res ipſa ſint tranſnaturales, & aſſentiendi ratio, ſive objectum formale, à quo ſpecificantur actus, ut norunt Philoſophi, naturæ terminis non contineatur. Sed de his fuſius eſt actum in Scholarum exercitationibus. In quibus illorum ſententiam non probavi, qui licet aſſenſum ſupernaturalem agnoſcant, in eo tamen ſubſtantiam à modo diſtinguunt & illam intra naturæ cancellos conſtituunt. (a) Hoc itaque ſtatuatur, ut omninò certum. Initium ædificationis Domus Sapientiæ à Principe ſupremo dari, ac Fundamentum gratis in animæ fundo poni. Quia revera, *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* ad Romanos xi. Qua ſententia urget S. Auguſtinus lib. de prædeſt. SS. cap. 2. Maſſilianos. Juxta decretum Apoſtoli: *Ex Deo ſunt omnia. Ergo & ipſum initium fidei eſt ex Deo: neque enim hoc excepto, ex ipſo ſunt cetera, ſed ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.*

(a) Scot. in 3. diſt. 23. q. una. Durand. ibid. q. 6. & in 2. diſt. 28. q. 1. Gabr. 3. d. 23. q. 2. art. 2. quorum patrocinium ſuſcipit Valentia 21. diſp. 1. q. 6. p. 1.

ARTICULUS III.

IMPENSÆ HUMANÆ

Et cooperatio Hominis Ædificatoris, poſt poſitionem Fundamenti factam impenſis ſupremi Principis.

POSITO Fidei Fundamento, vult ſupremus & Princeps & Architectus, ut hominis etiam impenſis cæteræ Ædificii Spiritualis partes adſurgant: id eſt, ut ejus
ope